

VIRO VERE DOCTO

D. LUCAE RUDGELEY,

Medicinae Doctori Expertissimo, Amico suo
plurimum honorando.

S. P. D.

Multi sunt in Litterato orbe qui veritates *Medico Chymicas* strenue propugnarunt, tu tamen (*Mæcenas Amplissime*) supra omnes Caput efferens, Te *Philalethen Candidum*, Investigatorem serium & solidum; veritatum demonstrationi innitentium deamatorem & vindicatorem, præ reliquis, demonstrasti: cuius virtus omnigena, animi doctes eximiae & supereminentes, cum a natura insitæ, tum industria acquisitæ, amplissimam tibi famam multa temporis vetustate indelebi-

* 2 lem

E P I S T O L A

Iem merito acquisiverunt . Exquisita illa *Physiologie* peritia , qua polles ; & experientia *Physrotechnica* qua duce tantarum rerum scientiam
nactus es ; arctissimo societatis vinculo conne-
xa , mutuas copias conjungunt , ut te *Spagy-
ricum* versatissimum , & verum *Philosophum per
ignem* , pleno ore prædicent ; qui ex ingenii
acumine , ratione consummata , & accurata
corporum mixtorum disquisitione & resolutio-
ne in qua exercenda jam *veteranus es miles* ,
jam olim , imo & hunc usque diem , annuen-
tibus omnium suffragiis , aptissimus designaris ,
qui judices quid noxiū , quid superfluum in
quolibet concreto conclusum latitet . Tu ipse
inter mille unus es , qui ope ignis , & assi-
dua in rebus *Chymicis* Encheiresi , *Machaoniam*
nostram artem , ad eam mirandam *Entele-
cheiam* , & sublime perfectionis fastigium eve-
xisti , ut jam inter Sydera fulgeat ; & clario-
ri Jubare coruscans , non solum Ideas Morbifi-
cas dispellere & profligare , sed & ipsa morbo-
rum principia seminalia radicitus extirpare que-
at . Unde liquido constat Te illum esse *Ar-
chiatrum* , in quem omnipotens noster Gu-
bernator hanc dignitatem contulit , ut reli-
qui mortalium Te honore & reverentia & qua-
par

D E D I C A T O R I A.

par est) prosequantur , tamquam Deo in *Rē-
gno Naturæ* ministrantem . Qua propter cum
me ex officio tibi devinctum sentirem , & et-
iam cum singularem & omnigenam tuam eru-
ditionem , & egregias illas animi dotes , qua-
rum supellecstile multiformi instructus fueris ,
vehementissime deperirem , non potis eram
memet ipsum continere , quin libertatem hanc
& audaciam mihi arriperem , ut Tibi , quo-
que nomini , hasce industriae nostræ & labo-
ris assidui primitias humillime sacrum face-
rem .

Cum itaque , (*Mecenas Amplissime*) serius
animo voluntarem cuius amicitiae & Patroci-
nio rudem hunc ingenii nostri fætum in lu-
cem proditurum concrederem , nullus mihi ,
aut cogitationibus meis se afferebat Tibi par ,
qui tam prolixo honore dignus , & de re lit-
teraria tanta meritus fueris , ut Tu solus ju-
dex sis idoneus , qui sententiam feras de ve-
ritate nostri instituti : est quod itaque Te hu-
millime & obnixe rogatum habeam , ut no-
stræ huic temeritati facilis ignoscas , & Levi-
dem se hoc Munuscolum benignus accipias ,
non quale vellem & optasse , sed quale pro
ingenii nostri tenuitate offerre licuit ; non
* * Rhe-

EPISTOLA DEDICATORIA.

Rhetorices pigmentis illitum , (nos enim verborum flosculos præ oculis non habuimus ; sed nudam veritatem experientiæ innitentem ingenue tradidimus) hac tamen spe fultam quod si quæ perspexeris σφόλματα pro consueto **Tuo** candore & animi facilitate tacitus prætermittas, & me excusatum habeas .

----- Proinde noster hic libellus **Tuis** auspiciis innitens securus publici juris evadit ; cuius tutelam ut amice suscipias , humillime & obnixè rogat .

*Humillimus **Tuus** servus ,
JOS. JACKSON.*

P.R.E.